DISSERTATIO MEDICA

DE

GONORRHÆA VENEREA

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

CAROLUS-GASPARD DUCROCQ, Niortenſis, *(Département des deux Sèvres)*, Liberalium Artium Magiſter, & jam-dudùm Almæ Univerſitatis Alumnus.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

NATIONI,
LEGI,
REGI.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Universitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ,
M. DCC. XCI.

55151
30

PROŒMIUM.

NULLUS eſt morbus qui tam ſit ſparſus quam lues venerea. Lues venerea eſt affectio quæ voluptates, Veneri conſecratas, reddit amaras, torturam ſæpè afferendo illis qui ſe imprudenter impuro exponunt coïtui.

Duobus modis corpus humanum cruciat. Et 1°. quidem univerſaliter, & 2°. localiter. Sub duabus formis, quando localiter afficit, generatim ſe prodit ſyphillis : ſub formâ cancri, & ſub formâ gonorrheæ. De illâ ſolùm tractare animus eſt.

DE GONORRHÆA.

GONORRHÆA venerea eſt fluxus muci puriformis per urethram. Olim credebatur ſemen illius fluxûs eſſe fontem, & probabiliter ex hâc ideâ, nomen gonorrhææ quæ, in Græco, fluxus ſeminis ſonat, illi morbo datum fuit. Sed ſi volumus verba nobis juſtas repræſentare ideas : illud verbum ex medicinâ expellere & blenhorragiam, (id-eſt in græco, muci fluxus) uti vult cel. *Swediaur*, ſubſtituere illi debemus. Sed illà nundùm factâ correctione, de antiquâ denominatione utamur.

Apparitio gonorrhææ ; poſt infectionem, plus aut minus rapida. In certis individuis, poſt aliquas horas ; in illis poſt tres, octo dies, in aliis

poſt ſex hebdomadas, ſecundùm *Hunterum* qui talem vidit caſum. Sed generatim apparet verſus ſeptimam vel octavam diem.

Signa quæ præcedunt gonorrhæam ſunt titillatio haud ingrata in orificio urethræ, quod tantùm muco albo madefactum eſt. Viginti-quatuor horis interjectis, orificium glandis tumet, rubet, calet ac hiat. Calor, ardor, dolor in mingendo, præcipuè poſt demiſſam urinam. Mucus flavo-virideſcens, quandoque ſtriis cruentis mixtus, majori copiâ ex urethrâ ſtillat. Totus canalis tumet, riget, & irritatio ſæpè uſquè ad veſicam protenditur; dolet perinæus, uſque ad anum pergente dolore. Pollutiones nocturnæ; erectiones involuntariæ quæ ægrotum cruciant, præcipuè ſi cordata ſit gonorrhæa, quod evenit quandò inflammatio ad ſupremum gradum delata, membranam reticularem afficit, ex *Huntero*, & ſecundùm *Plenck*, *Swediuur* & alios, quando frenulum præputii corripit. Hæc cauſa frequentior eſt.

Demùm ſymptomata inflammationis miteſcunt. Suppuratio ſub meliori apparentia ſe ſubmonſtrat. Poſt aliquot dies, abundantiam ſuam reprimit. Nullus perſentitur inter mingendum ardor, nullus calor, nulluſque dolor. Deniquè colore flùxûs muciformis mutato, ad albedinem vergente, & ſtillicidio ſpiſſiori facto, ut fili inſtar ductilis intra digitos evolvitur, ceſſat gonorrhæa.

DE CAUSA GONORRHÆÆ.

Cauſa gonorrhææ, applicatio viru venerei in urethra. Sed plurimi auctores, plurimi medici illam applicationem ulcus producere contendunt. Econtra *Morgagni*, *Hunter*, *Stool* compluribus probarunt diſſectionibus quod eſſet ſolummodò in canali inflammatio ſuperficialis nulli ulceri ſociata. Ad clariorem illam theoriam reddendam, *Swediaur* & *Stool* comparant gonorrhæam cum catarrho. » Idem hic contingit, inquit *Stool*, » quod in catharrho, ubi materiem coctam puriformem æger magna copiâ » quotidiè reddit, ſine læſione continui; ſine ulcere faucium, aſperæ » arteriæ, pulmonum, eſt enim ſolummodò mucus trachealis, pulmonaliſque copioſius ſecretus. »

Interea ſunt gonorrhææ ulceribus ſociatæ. N. illuſt. P. D. *Vigarous* eſt aliquando, inquit in curſu ſuo, inflammatio ulceroſa in toto tractu urethræ, tendentia ad ulcera, quandoque etiam ulcera.

Gonorrhææ habituales ſæpiſſimè in ulcere fontem habent.

SEDES GONORRHÆÆ.

De ſede gonorrhoïcâ Auctores inter ſe opinione valdè differunt. Alii volunt illam veſicales ſeminales occupare; quod abſurdum eſt, quia tale ſtillicidium ægros ad maraſmum reduceret & ſæpè mortem inferret gonorrhæâ laborantibus. Alii contendunt affectionem glandis proſtatæ cauſam eſſe morbi de quo tractamus. Alii glandes couperianas, aut lacunas morgagnianas. *Swediaur* vult quod ſemper in initio, ſedes morbi ſit in foſsâ naviculari. *Hunter* dicit tantùm generaliter gonorrhæam urethralem afficere canalem. Tenet eamdem opinionem D. *Vigarous*, dicens *propriam ſedem gonorrhϾ eſſe à glande uſque ad veſicam in toto tractu urethræ.*

DIAGNOSIS.

Diagnoſis gonorrhϾ de ſuſpicatione coïtûs impuri, & ſignis quæ jam recenſuimus, deſumitur. Sed ſignum certiſſimum eſt infectio individui ſani cum quo commercium habetur. Benè attendendum eſt in diagnoſi; nam dantur gonorrhϾ non venereæ. *Plenck*, pag. 33 in notâ, refert plurimas cauſas illarum gonorrhæarum. In illâ materiâ, per experientiam quam in ſemetipſum tentavit *Swediaur*, evertuntur omnia dubia, omnes incertitudines. Reipsà, injectione valdè irritante in urethrâ factâ, in brevi tempore, ſed modo violenti, omnia gonorrhϾ apparuerunt ſympthomata. Sed inquit *Plenck* « omnes hæ gonorrhϾ non venereæ noſcuntur, quod non diù » durent, mox fluant, mox ceſſent, mulierem concumbentem non inficiant, » & ut plurimùm ſuâ ſponte, morbo, à quo oriuntur, curato, evaneſcunt. »

Sæpiſſimè diagnoſis in fœminis valde difficilis. Nam morbo obnoxiæ ſunt qui gonorrhæam veneream maxime imitatur. Ille morbus, fluor albus nuncupatur, ſeu leucorrhea. Fœminæ quàm ſæpè de illo morbo laborant. Sub iiſdem ſignis quam gonorrhæa apparet. Undè diſtinctio inter illas affectiones valdè incerta. Sola ægra, ingenuè virulentiam ſui mali agnoſcens, de naturâ morbi, in errorem cadere nos impedit. Infectio hominis ſani ſignum certiſſimum nobis ſubminiſtrat. Tamen *Hunter* aſſerit aliquandò hanc circumſtantiam non eſſe ſignum certum infectionis fœminæ: nam, inquit, poſſibile hominem cum illâ fœminâ commercium habentem, aufferre virus cum pene, dùm tempus illi nondùm fuit datum in vaginam actionem facere. Ille homo infectione venereâ correptus, dicet, cum apparentiâ rationis, ſed tamen

falsè, mulierem lue venereâ laborare. Sed generatìm poteſt dici quod illud ſignum aliis circumſtantiis junctum, nobis præſentiam viru venerei indicet.

PROGNOSIS.

Præcipua prognoſis fundamenta, ſunt ægri conſtitutio, inceſſus plùs aut minùs violentus gonorrhææ. Generatìm ſi morbus mitiori modo ſua percurrat ſtadia: concludere indè poſſumus gonorrhæam ad felicem terminationem brevi tempore perventuram, ſed è contrà violentiſſimo modo tempora percurrens, aut malè tractata, tùm graviora ſymptomata ſupervenientia poſſunt ægro inferre periculum.

METHODUS CURATIVA.

Ut noſtra medela cum ordine tractanda veniat, eſt neceſſaria, ex variis medicis magni nominis, morbi diſtinctio, in tribus periodis, id eſt periodo inflammatorio, periodo purulefcentiæ, & deniquè periodo mucefcentiæ, aut deſſicationis. Quam maximè adhuc valdè utilis eſt diſtinctio inter & gonorrhæam ſimplicem & gonorrhæam ulceratam.

Primo quidem ad ægrum advocato, conſtitutio conſideranda venit. Si æger plethoricus ſit & ſymptomata gonorrhææ ſimplicis violenta; tùm ad ſanguinis miſſionem deveniendam, ſemper evacuationem conducens in ſtatum ægri.

Ad inflammationem compeſcendam ſunt alia remedia; talia ſunt balnea emollientia aut vaporis aquæ, antiphlogiſtica, diluentia, emollientia, emulſiones, mucilaginoſi. Hæc remedia ſub formâ ptiſanæ adhibeantur. Sunt Auctores qui immediatè in urethram mucilaginoſos per injectiones adminiſtrant.

Sed illam medelam N. P. cel. *Vigarous* damnat. Quia periculum cui exponatur æger, valdè imminet bonos effectus quos ex injectionibus deducere prætendunt illius methodi participes. Nam ſi malè ſit facta, & vaſibus dilaceratis per extremitatem inſtrumenti, virus in maſsâ humorum abſorberi poteſt; aut quamvis benè ſit facta, injectio ſemper periculoſa, deferens virus longiùs in urethrâ.

Si erectiones nocturnæ valdè doloroſæ, potiones anodinæ multum effecti præſtant.

In conſtitutionibus plethoricis, diæta vegetabilis. Vitentur vinum, liquores

ſpirituoſi, ſubſtantiæ acres quæ vim propriam in vias unicas exerunt; ut ſal, piper & alii aromatici; coïtus, equitationes, exercitationes frequentes. Quies obſervetur. Suſpenſorium teſticulos ſuſtineat.

Obſervantia exacta illorum præceptorum, inquit cel. *Swediaur*, præſervat ex ſymptomatibus periculoſis.

Periodo inflammatorio curato, miteſcunt ſymptomata. Periodus puruleſcentiæ illi ſuccedit. In illo conveniunt remedia quæ fluxum muci puriformis abundantiorem reddant, potus purificans ex ptiſanâ bardanæ. In illo periodo ſunt qui initiant uſum mercurii interni. Præcipuè *Gardane* initio omnis gonorrhææ dat ſubl. cor. Sed inutilis ille uſus in gonorrhæâ ſimplici. Sed omni dolore diſſipato, nullo calore, ardore in mingendo percepto, & ſtillicidio ad calorem albidum vergente & ſpiſſiori facto, quod conſtituit tertium periodum, tunc in illo periodo ad adſtringentia deveniendum eſt; talia ſunt therebentina, balſama copaiva, peruviana, &c. Tali methodo, brevi tempore, ceſſat gonorrhæa ſimplex.

Hæc ſpecies gonorrhææ eſt illa quæ medicos erravit quando affirmarunt omnes gonorrhæas ſine mercurio curari poſſe. Sed diſtinguere debebant inter gonorrhæas ſimplices quæ ſine mercurialibus curantur, & gonorrhæas ulceratas quæ non curantur, niſi adhibeatur mercurius.

Aliam concluſionem ex illorum opinione deduxere. Voluerunt virus gonorrhoïcum non eſſe idem ac virus ſyphilliticum; ſed virus particulare à lue venereâ valdè differens. Sed, abſtractione factâ Auctorum qui funditùs iſtius opinionis fundamenta evertere, nullus eſt inter practicos morbos venereos tractantes, qui non habeat aliquas obſervationes iſtam opinionem deſtruentes. Ille error. abſque dubio, provenit quod ex quibuſdam obſervationibus concluſionem generalem deduxerunt.

Dé gonorrhæâ ſimplici tractavimus. Nunc ad gonorrhæam veneream ulcere ſtipatam deveniamus.

Illius ulceris in urethrâ cauſæ ſunt ſymptomata violentiſſima, mala tractatio, negligentia morbi, peſſimum regimen, diſpoſitio ad ulcera, &c. In illis caſibus, mercuralia abſolutè neceſſaria ſunt. Nam in his circumſtantiis, virus venereum abſorbetur, & per infectionem maſſam humorum corrumpit, ſinon prævenimus illam abſorbtionem per adminiſtrationem internam aut externam mercurii qui, aut evertendo virus jamjam abſorbtum, aut abſorbtioni, nondùm factæ, ſeſe opponendo, aut ſimul duobus modis agit.

Si conſtitutio ægri valdè ſit irritabilis, debilis, *Hunter* vult quod conſtitutio primo curetur. Conſequenter dat roborantia, talia ſunt kina-kina,

quod ſæpè miris effectibus locum dedit. Conſtitutione curatâ, *partes*, inquit, *ſenſationem veram morbi experiuntur.* Et tunc methodo convenienti facilè curatur gonorrhæa.

Eſt methodus quæ per draſtica gonorrhæas tractat, aut per purgantia mitiora ſæpè ſæpiùs adhibita; ſed illa methodus maximè pernitioſa ſymptomata violentiſſima periculoſiſſimaque producit, talia ſunt augmentatio inflammationis, ſuppreſſio urinæ, tumor, inflammatio proſtatæ, ſuppreſſiones ſtillicidii quæ ſæpè inflammant unum aut duos teſticulos qui tument valdè, valdè dolent.

Eadem ſymptomata producere valent injectiones adſtringentes, inflammatorio periodo durante, aut vix ceſſato, factæ.

» Alia eſt methodus, inquit *Stool*, per diurethica, ea que ſæpè acria » qualia ex cantharidibus parantur, gonorrhæas curandi. Verùm non » medici, ſed inſanientis hominis eſt, in urethræ inflammatione, mictu » ardente, & ſumme dolorifico, ea exhibere quæ ex ſuâ naturâ ſyſtema » uropoieticum pariter inflammando afficiunt. »

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.